

ptum. Hac enim ratione etiam Ethnici edidif-  
sent opera verè bona: cum tamen scriptura teste,  
ea, quippe fide destituta, Deo placere non po-  
tuerint. Rom. 14. 24. Hebr. 11, 6.

43. Sed iuxta tenorem scripturae, ea opera ver-  
bo Dei praecepta intelligit Confessio nostra, quae  
fiunt à persona renata, & quae est in gratia: non  
proprijs viribus, sed per Spiritum sanctum: eum  
in finem, ut Deo spontanea praestetur obedien-  
tia, ad ipsius gloriam; Ecclesiae edificationem,  
proximi commodum.

44. Non igitur opera verè bona dici vel possunt  
vel debent, nisi quae à Deo sunt mandata, sicut  
dicente Deo ipso Deut. 4. 2. 22. 32. Non quod  
tibi videbitur, facias Domino Deo tuo, sed quod  
ego tibi precipio, hoc TANTVM facias, non  
addas quicquam, aut demas.

45. Et operum istorum Catalogum longè ac-  
curatissimum in Decalogo nobis Deus ipse propo-  
suit, duabus distinctum tabulis, ostendentibus  
quid debeamus tum Deo, tum proximo.

46. Causa efficiens istorum bonorum operum,  
non sunt vires humanae, quae ad bonum prorsus  
sunt emortuae; sed Spiritus sanctus, qui ut qua-  
vis dona alia, sic etiam bona opera in hominibus  
efficit, secundum illud Apostoli. 1. Cor. 12. 11.  
Omnia haec operatur vnus idemq; Spiritus. Et  
Philip. 2, 23. Deus est, qui operatur in vobis  
velle & perficere.

Utitur.